

80 permanere autem in peccatis diabolicum. Denique vide
 quomodo per prophetam hoc magis arguit Deus quam
 illud : « Et dixi, inquit, posteaquam meretricata est per
 haec omnia, convertere ad me et non est conversa. ». Et
 item alibi : « Et in his omnibus non est conversus inor-
 85 dinatus Iuda, sed adhuc manus excelsa. » In aliis quoque,
 posteaquam arguit delicta populi per prophetam et emen-
 dationem suam promiserunt, ostendens quam amabiliter
 conversionem suscipiat peccatorum dicit : « Quis dabit
 ita esse cor eorum in eis ut timeant me et custodiant man-
 90 data mea omnibus vitae suae, ut bene eis fiat et filiis
 eorum usque in saeculum. » Sed et Moses docere populum
 volens, quid Deus requirat ab omnibus, ita dicit : « Et
 nunc Israel, quid Dominus Deus tuus poscit abs te nisi ut
 timeas Dominum Deum tuum et incedas in omnibus viis
 95 eius et diligas eum ex toto corde tuo et ex tota amina
 tua ? » Deus ergo qui cupit diligi a nobis et omnia facit
 pro hoc et nec Unigenito suo pepercit pro salute nostra
 et caritate, et qui optat, ut ita dicam, ut quocumque
 pacto et quodcumque reconciliemur ei, quomodo paeni-
 100 tentes nos et conversos ad se non et libenter suscipiet
 et amabit ut filios ?

17. Nam quo prospectu putas, illud dixerit per pro-
 phetam : « Dic tu iniquitates tuas prior ut iustificeris. »
 Nonne cupiens nos ad amorem suum revocare et ad inti-
 mum caritatis affectum ? Si quis enim diligit amicum, si
 5 forte multas ab eo iniurias pertulit et nec sic quidem aver-
 sus est amor eius erga dilectum, si proferri in medium
 et exponi iniurias velit, certum est quia nullam aliam ob